

hujusmodi effectus secundum ordinem providentiæ divinæ.

Ad 1 ergo dicendum, quod minima gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde hoc non est propter majorem efficaciam baptismi, quod in quibusdam plura, in quibusdam autem pauciora peccata solvit; sed propter conditionem subjecti, quia in quolibet solvit quotcumque invenerit.

Ad 2, dicendum, quod hoc, quod in baptizatis major vel minor gratia appareat, potest dupliciter contingere. Uno modo, quia unus in baptismo percipit majorem gratiam, quam alius, propter devotionem majorem, ut dictum est (in corp. art.). Alio modo, quia etiamsi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea utuntur, sed unus studiosus in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.

Ad 3, dicendum, quod diversa capacitas naturalium in hominibus non est ex diversitate mentis, quæ per baptismum renovatur, cum omnes homines, ejusdem speciei existentes, in forma conveniant, sed est ex diversa dispositione corporum. Secus autem est in Angelis, qui differunt specie. Et ideo Angelis dantur dona gratuita secundum diversam capacitatem naturalium, non autem hominibus.

Ad 4, dicendum, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus providentiæ divinæ.

COMMENTARIUS.

1. Doctrina D. Thom. in corpore articuli clara est, neque ulla indiget expositione; docet enim baptismum per se, et vi sua æqualem habere effectum in omnibus, qui illum suscipiunt, quia, quantum in se est, æqualiter se habet ad omnes; ex parte vero subjecti inæqualiter dispositi fieri posse, ut majorem habeat effectum in uno, quam in alio. Quam doctrinam fusius explicabimus sequenti disputatione. Ubi nonnihil etiam dicemus de solutione ad tertium, in qua D. Thom. attingit philosophicam questionem, an animæ humanæ sint inæquales in naturali perfectione, ut hac ratione, cæteris paribus, recipiant inæqualem effectum proportionatum naturali perfectioni; et respondet, non esse in mentibus hominum diversam capacitatem naturalem ex parte ipsarum, sed ex diversa corporum dispositione; et ideo non oportere, ut eis detur inæqualis gratia ob diversam capacitatem naturalem; quæ responsio duobus modis potest intelligi: primo, quod in anima-

bus ipsis secundum se nulla sit inæqualitas; secundo, quod in eis non sit inæqualitas formalis (ut sic dicam), et omnino absoluta, sed materialis tantum, et per habitudinem ad corpora diversimode disposita, ita tamen ut non sit inæqualitas in solis corporibus, sed etiam in animabus habentibus habitudinem ad illa. Et uterque sensus potest facile accommodari verbis D. Thomæ, ac prior quidem est facilior ad evacuandam omnino difficultatem argumenti. Posterior vero est fortasse in re ipsa verior, ut in libro de anima latius disseritur, et est sufficiens ad argumentum solvendum, quia, cum multiplicatio individuorum, et inæqualitas eorum sit quodammodo materialis et per accidens, non oportet in hoc gratiam accommodari naturæ, ut iterum inferius dicam.

2. Quomodo effectus baptismi per accidens possint esse diversi. — *Baptismus Constantini.* — *Cajetanus de Constantini baptismo.* — *Exploditur Cajetani sententia.* — *Constantinus multis annis ante obitum baptizatus est, et a lepra mundatus.* — Quod autem D. Thomas asserit in posteriori parte articuli, effectus per accidens baptismi posse esse diversos et inæquales in variis subjectis, si termini intelligantur, difficultatem etiam non habet; dicuntur enim effectus per accidens illi qui sunt ultra virtutem et efficaciam, quam baptismus habet ex vi suæ institutionis; de quibus nulla est a Deo lex, nec promissio. Unde, si loquamur secundum legem ordinariam, æqualitas baptismi quoad hos effectus est, quod in nullo subjecto habere illos potest virtute sua; si ergo interdum habet aliquem hujusmodi effectum, est, quia Deus suo arbitrio miraculose illo utitur ad aliquid operandum ultra legem ordinariam. Divina autem voluntas pro sua libertate et gratia potest operari, vel non operari hujusmodi effectum, quando vult; et ideo non oportet in hujusmodi effectibus inveniri æqualitatem, etiam si ex parte suscipientium cætera sint paria. Unde quoad priores effectus baptismus se habet ut agens naturale ex vi institutionis, et ideo semper agit quantum potest: quoad posteriores autem effectus se habet ut agens liberum ex vi motionis divinæ; et ideo non agit quantum potest, sed quantum Deus vult. Hac vero occasione attingit D. Thomas in solutione ad quartum, questionem illam de baptismo Constantini, an in eo fuerit a lepra mundatus. Et in argumento quidem refert hanc historiam ut veram; et in solutione

eamdem veritatem admittens, respondet, illum fuisse ex effectibus miraculosis et per accidens baptismi; Cajetanus autem in Commentario significat, historiam illam, et esse incertam, et non esse adeo fide dignam, quia nullius auctoritate constat, ut ipse dicit; ac tribus modis confirmat: primo, quia gesta Sylvestri, in quibus hæc historia narratur, incertum habent auctorem; secundo, quia nullus historicus Christianus aut Gentilis eam narravit historiam; tertio, quia Ambrosius, oratione de obitu Theodosii, dicit, Constantinum in ultimo vitæ positum baptizatum fuisse; quod ipse etiam Cajetanus docuit supra art. 3, citans eundem Ambrosium. Potuissetque adjungere Eusebium (ex quo fortasse Ambrosius id mutuatus est) lib. 4 de Vita Constantini, cap. 62, ubi refert, Constantinum in fine vitæ, Nicomediæ fuisse baptizatum. Idem Hieronymus, in additione ad Chronicon Eusebii, anno 340, addens, Constantinum fuisse ab Eusebio Nicomediensi Ariano baptizatum, et in Arianam hæresim declinasse. Theodoretus etiam, lib. 4 Hist., c. 32, addit, Constantinum baptismum distulisse usque ad finem vitæ, quod magno tenebatur desiderio salutare lavacrum in Jordane fluvio recipiendi. Sed non debuisset Cajetanus in re tam gravi ac pia, tam facile a Romana traditione discedere; neque enim ea, quæ ipsum movisse videntur, satis perspecta, atque considerata sunt. Nam in primis, licet fateamur, cum Gelasio Papa, in cap. Sancta Romana, 45 d., Acta Sylvestri non habere nominatum ac certum auctorem, tamen ex eodem Gelasio fatendum nobis est, habere plusquam probabilem ac fere certam auctoritatem, qualis esse potest in humana historia, quæ non semper ex nomine auctoris, sed interdum ex antiqua traditione, et communi consensione auctoritatem accipit. Refert autem in eodem cap. Gelasius, historiam illam atque acta Sylvestri, suo jam tempore antiquo usu fuisse recepta, tam in Romana Ecclesia, quam in aliis; fuit autem Gelasius nondum duobus sæculis posterior Sylvestro, nimirum 170 annis; ergo si tempore Gelasii jam erat illa historia antiqua traditione, et consuetudine recepta, verisimile certe est, vel vivente Sylvestro, vel prope illius tempora fuisse conscriptam; quis ergo leviter audebit de illius veritate dubitare? Secundo, quod Cajetan. ait, nullum historicum illius facti meminisse, non ita est; nam, ut omittam Glicam auctorem Græcum, lib. 4 suæ historiæ, et Marianum Scotum sub

anno 327, illud miraculum narrare, et Gregorium Turonensem, lib. 2 Sacræ historiæ, cap. 34, illud indicare, majoris auctoritatis est Concilium Romanum, sub eodem Sylvestro, quod cap. 4, eamdem historiam narrat, quam etiam amplectitur Adrianus Papa, epist. ad Constantinum et Irenem, et refertur ac probatur in septima Synodo, act. 2. Unde Nicolaus Papa, in epist. ad Michaelem Imperatorem, paulo ante medium, Sylvestrum Magni Constantini baptizatorem appellat, et Leo IX, in epist. contra Michaelem Imper., Constantinum vocat spiritualement Sylvestri filium, eumque ait quarto a suo baptimate die quædam privilegia Ecclesiæ Romanæ contulisse. Tertio, quod ad Ambrosium attinet, possemus ejus verba subterfugere, negando illum dicere, Constantinum baptizatum esse extremo vitæ tempore, sed in extremo vitæ periculo, quod verificari potest, etiam si Romæ baptizatus fuerit, quia tunc revera laborabat lepræ ægritudine, ratione cujus erat in vitæ discrimine; verba enim Ambrosii sunt: *Baptismatis gratia in ultimis constituto, omnia peccata dimisit.* Sed simplicius fateamur, Ambrosium obiter rem attingisse, et non satis explorata causa Eusebio fidem dedisse, qui etiam nonnullos alios posteriores auctores decepit, falsam narrationem contexens, non certe (ut existimo) quod ipse deceptus fuerit, aut ignorantia historiæ laboraverit; qui enim hoc credibile est, cum ille familiaris fuerit Constantino, et de rebus sua ætate gestis, et quibus ipse fere interfuit, scribat? Non ergo ipse deceptus est, sed alios decipere voluit in gratiam, ut creditur, Constantii hæretici, et in odium Ecclesiæ Romanæ, et in favorem Arianæ hæresis, ut nimirum posteris persuaderet, Constantinum inter Arianos, et ab Episcopo Ariano, vel potius Arianorum principe, Eusebio scilicet Nicomediensi, fuisse baptizatum; atque adeo in eodem schismate et hæresi fuisse mortuum; hoc enim totum ex ipsius narratione colligitur, cum dicat Constantinum in ultimo vitæ positum Nicomediæ, ab Episcopis, qui ibi aderant, quorum princeps, et illius Ecclesiæ caput, erat Eusebius, baptismum petiisse et accepisse, pauloque post obiisse. Quis autem credere audeat, Constantinum Imperatorem piissimum, et a tota antiquitate laudatum, Ariana hæresi infectum, et Arianis faventem, baptizatum, et mortuum fuisse? Adde, per se esse incredibile, Constantinum Christianissimum principem post fidem et pietatem

conceptam, tot bella gessisse, totque vitæ periculis sese exposuisse sine baptismo; et, quod amplius est, interfuisse sæpe sacris functionibus et mysteriis, ut idem Eusebius variis locis ejusdem operis narrat; quod non licebat, nisi baptizatis. Item constat eum adfuisse Nicæno Concilio, tantamque pietatem et christianam fidem et auctoritatem in eo ostendisse, ut non sit credibile, eum tunc fuisse tantum catechumenum, et non baptizatum. Denique extat Romæ antiquissimum monumentum, baptisterium Constantini appellatum, quod ipsum ratione baptismatis ibi suscepti ædificasse, antiquissima traditio tenet ac docet; quod si hoc leviter negare licet, eadem certe ratione negare quis poterit, aut Lateranensem Ecclesiam, aut Petri vel Pauli templa a Constantino ædificata fuisse; quo nihil potest esse absurdus. Sit ergo constans, Constantinum multis annis ante mortem suam, Romæ a Sylvestro baptizatum fuisse, et divinitus a lepra mundatum; quam historiam etiam Pius V, in breviario Romano, in vita Sylvestri recepit.

ARTICULUS IX.

Utrum fictio impediat effectum baptismi (4, dist. 4, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, ad 3, et quæst. 3, art. 2, quæst. 1, per tot., et dist. 12, q. 2, art. 1, quæst. 3, ad 3).

1. Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod fictio non impediat effectum baptismi. Dicit enim Apostolus Gal. 3: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed omnes, qui baptismum Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes induunt Christum, quod est percipere baptismi effectum. Et ita fictio non impedit baptismi effectum.

2. Præterea, in baptismo operatur virtus divina, quæ potest voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus causæ agentis non potest impediri per id quod ab illa causa potest auferri. Ergo fictio non impedit baptismi effectum.

3. Præterea, effectus baptismi est gratia, cui peccatum opponitur. Sed multa sunt alia peccata graviora, quam fictio, de quibus non dicitur, quod effectum baptismi impediunt. Ergo neque fictio impedit effectum baptismi.

Sed contra est, quod dicitur Sap. 1: Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Sed effectus baptismi est a Spiritu Sancto. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

Respondeo dicendum, quod, sicut Damascen.

dicit (lib. 2 de Fide orth., cap. 30), Deus non cogit hominem ad justitiam. Et ideo ad hoc, quod aliquis justificetur per baptismum, requiritur, quod voluntas hominis amplectatur baptismum et baptismi effectum. Dicitur autem aliquis fictus, per hoc, quod voluntas ejus contradicit vel baptismo, vel ejus effectui. Nam secundum August., quatuor modis dicitur aliquis fictus. Uno modo ille, qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentum. Alio modo per hoc, quod contemnit ipsum sacramentum. Tertio modo per hoc, quod aliter celebrat sacramentum, non servando ritum Ecclesiæ. Quarto modo per hoc quod aliquis indevote accedit. Unde manifestum est, quod fictio impedit effectum baptismi.

Ad 1 ergo dicendum, quod baptizari in Christo potest intelligi dupliciter. Uno modo in Christo, id est, in Christi conformitate. Et sic quicumque baptizantur in Christo, et conformantur ei per fidem et charitatem, induunt Christum per gratiam. Alio modo dicuntur aliqui baptizari in Christo in quantum accipiunt sacramentum Christi. Et sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiæ.

Ad 2, dicendum, quod quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus, sed non semper hoc Deus facit. Nec ad hoc, sacramentum ordinatur, ut de ficto fiat aliquis non fictus, sed ut non fictus aliquis accedens justificetur.

Ad 3, dicendum, quod fictus dicitur aliquis ex eo, quod demonstrat se aliquid velle, quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, et sacramentum venerari, et velle se Christo conformari, et velle a peccato recedere. Unde cuicumque peccato vult homo inhærere, si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est indevote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur, non autem de peccato veniali. Unde fictio hic quodammodo includit omne peccatum.

COMMENTARIUS.

1. Quid sit fictio et quotuplex in baptismo. — Intelligentia hujus articuli tota pendet ex intelligentia illius vocis fictio; nam D. Thom. in articulo satis concise et sine explicatione numerat quatuor fictionis modos, quos postea explicabimus; in solutione autem ad tertium ait, eum dici fictum, qui demons-

trat se aliquid velle, quod non vult; fictio ergo erit simulatio exterior, seu opere ipso exhibita, qua aliquis in baptismo exterius profitetur se aliquid velle, quod revera interiorius non vult. Quæ nominis interpretatio ipsi voci per se satis est accommodata; vocatur enim fictio, quia revera non est qualis apparet seu exterius exhibetur. Unde colligitur primo, duplicem posse esse hujusmodi fictionem, alteram ipsi baptismo, alteram vero solum effectui baptismi contrariam; prior est in voluntate; et tunc est, quando quis recipit baptismum sine intentione et voluntate recipiendi sacramentum; et multo magis si habeat voluntatem nihil agendi, sed vel decipiendi, aut illudendi seu irridendi sacramentum; posterior autem fictio est etiam in voluntate, et potest redundare in intellectum, non tamen excludit voluntatem suscipiendi sacramentum, sed illam potius supponit, et formaliter consistit in carentia dispositionis necessariæ ad recipiendum sacramenti effectum, quæ dispositio in aliquo actu consistit, ut infra dicemus. Unde hæc ipsa fictio duobus modis haberi potest. Primo mere negative, seu involuntarie, ut si quis careat dispositione necessaria, ex ignorantia, vel inadvertentia inculpabili. Secundo contrarie, seu voluntarie, ut cum quis vult baptismum suscipere cum voluntaria adhæsiōne ad aliquod peccatum mortale, aut absque necessaria displicentia illius; quando fictio contingit priori modo, formaliter consistit in aliquo peccato habituali gratiæ contrario, et nullo modo retractato; quando vero est posterioris generis, supponit habituale peccatum non retractatum, et addit actuale aliquod, saltem ipsam indignam susceptionem baptismi voluntariam. In utroque autem fictionis genere possunt varia peccatorum genera intervenire, scilicet infidelitatis, contemptus, sacrilegii, etc.; tamen hæc omnia materialiter se habent ad fictionem, quæ formaliter in hoc consistit, quod aliquis imparatus, seu indispositus accedit ad sacramentum.

2. Fictio tantum locum habet in adultis. — Secundo colligitur ex dictis, hanc fictionem, et consequenter totam hanc quæstionem solum habere locum in adultis; nam in parvulis neque ad substantiam sacramenti requiritur propria voluntas suscipiendi illud, neque dispositio ad effectum, quia utriusque sunt incapaces, et ideo ficti esse non possunt, quia nec repugnare possunt, neque aliqua re ex parte illorum necessaria carere.

3. Tertio colligitur sensus, et facilis resolutio quæstionis; nam prior fictio non solum effectum, sed etiam veritatem sacramenti impedit, quia, ut supra dictum est, ad valorem sacramenti requiritur in adulto intentio suscipiendi, de qua re nihil hoc loco addendum est, quia satis est in superioribus disputata, et quia revera non est hic sensus præsentis quæstionis, ut patet, tum ex titulo, ubi non quaeritur de impedimento baptismi, sed effectus ejus, tum ex solutionibus argumentorum, maxime ex articulo sequenti, ubi D. Thom. docet, recedente fictione, incipere baptismum habere suum effectum, quod non est verum, nisi in prædicto sensu. Posterior ergo fictio non impedit veritatem sacramenti, impedit tamen effectum gratiæ; cujus rationem reddit D. Thom., quia effectus gratiæ non datur nisi volenti; qui autem accedit fictus, voluntate sua contradicit gratiæ effectui, de qua re statim latius disputabimus.

4. Quatuor fictionis modi explicantur. — Ultimo possunt ex dictis facile explicari quatuor modi fictionis a D. Thom. positi, ex quibus nonnulli possent ad utrumque fictionis modum supra positum facile accommodari; nam licet (ut dixi) quæstio hæc potissimum intelligatur de fictione effectui contraria, tamen D. Thom. ad doctrinæ amplitudinem de utraque miscet sermonem in corpore articuli. Primus ergo modus fictionis est per infidelitatem, quæ potest esse vel contra sacramentum, si quis non credat baptismum esse alicujus valoris, neque aliquid sacrum, et ideo nolit revera baptizari, sed ludere vel simulare. Potest etiam hoc modo reperiri fictio soli effectui contraria, ut si quis sit infidelis in aliis rebus fidei, non tamen in ipso baptismo, vel etiam si sit infidelis in baptismo, ut si velit baptizari non credens baptismum aliquid esse, volens tamen accipere, quidquid ille sit, ut in superioribus tractatum est. Secundus modus fictionis dicitur esse per contemptum ipsius sacramenti, qui tantus esse potest, ut excludat intentionem suscipiendi sacramentum, atque ita fit fictio contraria veritati sacramenti, ut si quis velit exterius baptizari, non tamen verum sacramentum suscipere, solum ut illudat sacramento, et in irreverentiam ejus; aliter tamen potest hæc fictio esse contraria effectui tantum, ut si quis velit suscipere sacramentum sine debita dispositione, quia pro nihilo ducit illam injuriam facere sacramento, neque in hoc vult recognoscere dignitatem sacramenti,

ad illud se digne præparando. Tertius modus, ait D. Thom., est per hoc, quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesiæ, quod quidem magis videtur ad ministrum, quam ad suscipientem pertinere, potest tamen in suscipientem redundare, si ipse velit eo ritu accipere, et aut ministrum inducat, aut alio modo cooperetur illi; erit autem hæc fictio sacramento contraria, si mutatio illa sit in ritu essentiali; si vero sit solum in accidentali, erit tantum contraria effectui, dummodo sit in re gravi, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Unde constat, omnes hos fictionis modos, quod ad rationem fictionis attinet, esse materialiter diversos, posseque in infinitum multiplicari juxta varia peccatorum genera. Quartus ergo modus est proprius formalis, atque universalis, scilicet, quando quis indevote accedit. Declarat autem D. Thom. in solut. ad 3, indevote accedere, idem esse, quod suspicere sacramentum cum voluntate adhærente alicui peccato mortali, ubi statim occurrebat difficultas, qualem necesse sit esse hujusmodi inhæSIONem, et an interdum sufficiat solum originale peccatum, sed de hac re disseremus disputatione sequenti.

ARTICULUS X.

Utrum fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur (4, dist. 4, quæst. 3, art. 2, quæst. 3, et dist. 17, quæst. 3, art. 2, quæst. 1).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod fictione recedente baptismus suum effectum non consequatur. Opus enim mortuum, quod est sine charitate, non potest unquam vivificari. Sed ille, qui fictus accedit ad baptismum, recipit sacramentum sine charitate. Ergo nunquam potest vivificari hoc modo, ut gratiam conferat.

2. Præterea, fictio videtur esse fortior, quam baptismus, cum impediatur ejus effectum. Sed fortius non tollitur a debiliore. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum. Et sic baptismus non consequatur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

3. Præterea, contingit, quod aliquis fictus accedat ad baptismum et post baptismum multa peccata committat, quæ tamen per baptismum non tolluntur, quia baptismus tollit peccata præterita, non futura. Ergo baptismus talis nunquam consequatur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

Sed contra est, quod August. dicit, in libro 1 de Baptismo (contra Donat., cap. 12): Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. 66, art. 9), baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatæ perficit suum effectum, sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter, quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata; impeditur autem quandoque per fictionem, unde oportet, quod remota ea per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

Ad 1 ergo dicendum, quod sacramentum baptismi est opus Dei et non hominis. Et ideo non est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.

Ad 2, dicendum, quod fictio non removetur per baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua remota baptismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismum. Unde Augustinus dicit in libro 1 de Baptismo parvulorum (cap. 8, tom. 7, habetur de Consecr., dist. 4, c. 40, in fine): Solvitur hesternus dies, et quidquid superest solvitur, etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismum; deinceps autem continuo reus esse incipit. Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrunt baptismus et pœnitentia, sed baptismus sicut causa per se agens, pœnitentia sicut causa per accidens, id est, removens prohibens.

Ad 3, dicendum, quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed præsentia vel præterita. Et ideo recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per pœnitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia baptismum.

COMMENTARIUS.

Materia hujus articuli amplissima est, et difficilis, tam in reddenda propria ratione,

SECTIO I.

Utrum baptismus requirat aliquam dispositionem ad suum effectum.

4. Quæstio hæc solum habet locum in adultis, ut supra notavi; nam infantes non sunt capaces dispositionis propriæ; per infantes autem intelliguntur omnes, qui nunquam ratione uti potuerunt, etiam si grandioris ætatis sint; et e converso adulti dicuntur omnes, qui aliquando habuerunt usum rationis, quamvis contingat esse amentes vel furiosos eo tempore, quo baptizantur. Rursus movetur quæstio de effectu gratiæ sanctificantis, et remissionis peccati, atque aliorum donorum, quæ ad hunc ordinem spectant; nam de effectu characteris certa res est, nullam postulare dispositionem præter voluntatem suscipiendi sacramentum, quia hæc voluntas sufficit ad veritatem sacramenti; non potest autem esse verum sacramentum baptismi, quin conferat effectum characteris; hæc enim de causa iterari non potest, et ideo non potest major dispositio requiri ad effectum characteris, quam ad veritatem sacramenti. Nos autem supponimus verum sacramentum suscipi, et consequenter hominem accedere cum sufficienti voluntate recipiendi sacramentum atque ita recipere characterem ejus; inquiremus autem, an ad recipiendum ulteriorem effectum alia dispositio necessaria sit.

2. Error Lutheranorum. — Ad præterea, totam quæstionem esse de dispositione voluntatis; nam inter Catholicos, imo etiam inter hæreticos nulla controversia est, quin ex parte intellectus, sit necessaria fides, quia ut ad Hebr. 11, inquit Paulus, sine fide impossibile est placere Deo; est enim totius justitiæ fundamentum, et ideo Christus Dominus, Matthæi ult., præcipit discipulis, ut prius doceant omnes gentes, deinde eos baptizarent, quia necesse est ut fides antecedit baptismum, fides autem est ex auditu; ac simili modo Marci ultimo dixit Christus: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; est ergo necessaria fides, et illa sine dubio sufficit ex parte intellectus. Difficultas solum est, an ex parte voluntatis aliqua alia dispositio requiratur. Lutherani negant, quia putant fidem sufficere ad omnem justitiam; quod in præsentem confirmant ex citatis verbis Marci ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. In quibus præter baptismum, nihil aliud ad salutem postulat, nisi fides. Non-

et necessitate hujus effectus, qui, ut D. Thomas docet, tribuitur ratione baptismi ficti recepti, recedente fictione, quam in explicando modo, quo hic effectus redeat, et quomodo sit tollenda fictio, quod D. Thom. attingit in solutione ad secundum et tertium; quapropter de his statim fusius agemus. Circa contextum autem D. Thomæ dubitat Cajetanus de illa proportionem, qua comparantur character et gratia, formæ et proprietati, seu perfectioni, quæ consequitur formam; nam potius gratia videtur se habere, ut præcipua forma in esse supernaturali; character autem est veluti dispositio, vel certe tanquam proprietatis quædam, quæ consequitur gratiam medio sacramento. Sed non oportet multum immorari in hujusmodi congruentiis, quæ solum fundantur in analogia quædam et proportionem. Non est ergo mens D. Thomæ, in re ipsa gratiam ex natura sua consequi ad characterem, tanquam ad formam; nam constat non ita esse, ut probat ratio facta, et quia character solum est signum quoddam commune bonis et malis; tamen quia hoc signum datum est, ut homines consecrentur in membra Christi, et profiteantur legem ejus; gratia vero datur, ut sint viva membra, et ut per eam juventur ad jugum Christi ferendum; ideo ex intentione Christi instituentis, gratia semper comitatur characterem, si ex parte suscipientis non sit impedimentum; atque hoc satis est ad dictam proportionem.

DISPUTATIO XXVIII.

DE DISPOSITIONE AD EFFECTUM BAPTISMI NECESSARIA ET VARIETATE EFFECTUS, QUÆ INDE CONSEQUITUR.

Utrum effectus baptismi necessario a sua causa prodeat. — Postquam dictum est de effectu baptismi, et de necessitate talis causæ ad hujusmodi effectum, dicendum sequitur de necessitate emanationis talis effectus a tali causa, scilicet, an semper ab illa prodeat, vel possit interdum impedi; unde consequenter constabit, an hic effectus sit semper omnino idem, et invariabilis, an vero possit major et minor inveniri; totum autem hoc pendet ex dispositione recipientis; et ideo ab hac quæstione incipiendum nobis est.